



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

XVI. Vt sepulturam morientium nemo vendat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO  
CHRISTI  
895.

sanctiones Canonum, decimæ, sicut & aliæ possessiones, antiquis conferentur ecclesiis, sicut in Calchedonensi sancto Concilio statutum est, capite decimoseptimo. Si quis autem in affinitate antiquæ ecclesiæ noualia rura excoluerit, decima exinde debita antiquæ reddatur ecclesiæ. Si vero in qualibet silua, vel deserto loco, vltra milliaria quatuor aut quinque, vel eo amplius, aliquod dirutum collaborauerit, & illic consentiente episcopo ecclesiam construxerit, & consecratam perpetrauerit, prospiciat presbyterum ad seruitium Dei idoneum & studiosum, & tunc demum nouam decimam nouæ reddat ecclesiæ; salua tamen potestate episcopi.

XV.

Restat propter instantem, quæ tunc maxima occurrit, necessitatem, vbicumque facultas rerum & opportunitas temporum suppetat, sepulturam morientium apud ecclesiam, vbi sedes est episcopi, celebrari. Si autem hoc propter itineris longinquitatem, aut adiacentem alicuius inopportunitatis difficultatem, impossibile videatur, expectet eum terra sepulturæ suæ, quo canonicorum aut monachorum, siue sanctimonialium congregatio sancta communiter degat, vt eorum orationibus iudici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat. Quod si & hoc ineptum & difficile æstimeretur: vbi decimam persoluebat viuus, sepeliatur mortuus.

Viuum  
pro defun-  
ctis inter-  
cessionibus  
asseruntur.

XVI.

Abhorrendus, & Christianis omnibus deuitan-

Mmmm iij

dus mos iniquus subrepsit sepulturam mortuis de-  
 bitam sub precio vendere, & gratiam Dei vena-  
 lem facere: cum hoc nusquam sub euangelica gra-  
 tia meminerimus nos inuenisse vel legisse. In Eccle-  
 siastico namque libro scriptum est: *Mortuo non pro-*  
*hibeas gratiam, sciens quia omnes moriemur.* Et item:  
*Omnia quæ de terra sunt, in terram conuertuntur.* Quid  
 terra terram vendis? memento quoniam terra es, &  
 in terram ibis, & quoniam mors tibi futura est, ap-  
 propriat & non tardat. Recordare quoniam non  
 hominis est terra, sed vt Psalmista commemorat:  
*Domini est terra, & qui habitant in ea.* Si terram ven-  
 dis, inuasiōe alienæ rei reus teneberis. Gratis acce-  
 pisti a Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum  
 fit omnibus omnino Christianis, terram mortuis  
 vendere, & debitam sepulturam denegare. Nisi for-  
 te proximi, & amici defuncti, propter nomen Do-  
 mini & redemptionem animæ viri, gratis aliquid  
 donare velint.

## XVII.

Secundum statuta sanctorum patrum, & expe-  
 rimenta miraculorum, prohibemus & præcipimus,  
 vt deinceps nullus laicus in ecclesia sepeliatur. Qui-  
 dam mirabilis doctor nostræ diffinitioni consen-  
 tiens, inquit: Nemo enim in ecclesia sepeliatur,  
 nisi forte talis sit persona sacerdotis, aut cuiuslibet  
 iusti hominis, qui per vitæ meritum, talem viuen-  
 do suo corpori defuncto locum acquisiuit. Corpo-  
 ra antiquitus in ecclesia sepulta, nequaquam proii-  
 ciantur, sed pauimento desuper factō, nullo tu-  
 mulorum vestigio apparente, ecclesiæ reuerentia